

multitudinis exceptus est. Imo, inquit, hujus Avernalis terræ fructum proferam vobis, ut, quoniam verbis divinis non creditis, vestris ipsi oculis credatis. Accendit curiositatem promissi novitas & fiducia. Convenerunt è tota regione ad diem constitutum, & in ingenti planitie, collibus instar amphitheatri cincta, confederunt. Primores gentis duodecim lecti fuere, viri graves & cordati, qui sacerdotem observarent, numquid fraudis ac præstigiarum lateret. Ille sulphuris glebam depromit, dat istis arbitris & cognitoribus tractandam : hanc oculis, naso, manu scrutati, haud dubie terram esse confessi sunt. Aderat olla cum prunis candentibus. Tunc sacerdos populo procul spectante ; inhiantibus, demisso in prunas naso, iudicibus, ex-